

quām alteros, posse? Hunc autem, Virum cōeterā doctissi-
mum, quis miretur amplius tam facile potuisse effata quā-
cunq; gentilis philosophi (quem alii Viri doctissimi, ipsi alias
addictissimi, providentiam divinam ē mundo sustulisse, hu-
jus æte rnitatem statuisse, animæ immortalitatem aut negās-
se aut in dubio reliquise &c. intrepidè afferunt) cum Sacro-
Sanctis scripturis ita conciliare, ut non aliis quām apparen-
utrorumq; dissensus superesset; si ejusdem interpretationem
textūs 83. Lib. II. de An. inspexerit, quæ reperitur in Notis
ad Jachæi Phys. Instit. Lib. VIII. cap. XVII. Cū enim in alle-
gato loco Stagirita satisclarè statuisset, primarium auditū or-
ganon aut partem istam in qua actus audiendi ultimatò perfi-
ciatur, esse aërem internum, quem auditui congenitum
dicit, hic autem ejus Interpres ex Anatomicorum observa-
tionibus & sensuum cōeterorum analogia veriora doctus,
substantiam nerveam per auris intimæ concamerationes di-
latatam pro instrumento primario rectè agnosceret; ut ne
deserere planè Magistrum cogeretur, ita verba ipsius inter-
pretatus est, ut ab hoc ipso temporis momento dextrâ fideq;
datâ recipere nulli dubitemus, ab Aristotelis Philosophia nus-
piam nos discessuros imposterum, siquidem isthæc ejus in-
terpretandi ratio probari possit. *Quid si dicatur, inquit, per*
aërem sive auram insitam intelligi substantiam nervi, prout ad
finem suum dilatatus plurimum aërea substantia includit?

V. At enim, quid, amabo, juvaret affectu verbisq; testa-
ri suum ubiq; cum Philosopho consensum, opere ipso verò
ab eo magis quām à quovis alio dissentire, h. e. non ipsitan-
tūm sed & superioribus illudere? Quantò satius esset & scien-
tiarum augmentis proficuum, & ad animorum perniciosas
collisiones evitandas consultum magis (parum enim esset, &
condonandum facile vel Aristotelis, vel Epicuri vel Cartesii
Gassendive cujusdam Sectatoribus, si Præceptorem quiq;
suum ejusq; statuta etiam nimio prosequerentur affectu, nisi,